



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorvm Detestationem,  
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1649**

§. 12. Superborum damna, & humilium lucra.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](#)

bet seruire, non Deo: immo Deus debet ipse officia, sacra, vesperas in templis ad suum honorem institutas pati, vt à se transferantur, & talibus templorum violatoribus, ad aspectus impuros, ad sacrilegè garriendum, ad neficio quæ infanda cogitanda, sint locus, & occasio, seruiántque volentibus peccare. Lustra alij, & lupanaria adeunt, qui talia meditantur, isti templa, non iam Numinis, sed Veneris gymnasia. Quid dico? ipse tunc præfens Deus, debet istorum esse auditor, & quasi ibi non jam cælestes aquilæ, ad diuinum illius corpus, in SS. Eucharistia, adorandum, sed corui ad strebulas carnes deuorandas congregarentur. Neque hoc semel sit duntaxat, sed sæpe, sed à quibusdam semper, vt & de Alfonso scribitur, eum blasphema illa sua verba sæpe repetiuisse.

Quid rex faceret mancipio, à quo videret, rebellione excitata, se de throno deiici, purpura atque sceptro exui, regno spoliari? Nihil simile moliebatur Saulo Dauid, sed quia eum æmulum suum esse putabat, quot non modis eum est persecutus? Quare, cum, more gigantum Iouem de cœlo deripere conantium, superbi Deum ipsum oppugnent, Deus aliqui mitissimus, & ad veniam paratissimus

XII.  
SUPERBO-  
RVM DAM-  
NA, ET  
HVMILIVM  
LYCRA.

C 3

seue-

**S. Petri 5.5** seuerissimè *superbis resistit*. Quod statim fe-  
**Iac. 4.6.** cit ab initio, cùm Luciferum Angelorum om-  
 nium pulcherrimum è summo cœlo, ad ima  
 Tartara deiecit. Quid faciet homini superbia  
 & arrogantia Luciferum ipsum superanti?

**Egnat.** Heraclius Græcorum Imperator receperat  
**lib. 1. c. 6.** crucem à Cosroë Persarum rege, perpetuæ pa-  
 & Bonfi- cis pignus, in qua Redemptor humani generis  
 nius l. 8. Christus peperederat, eamque Hierosolymis  
 dec. 1. magnifica pompa inferre parabat. Ergo ha-  
 bitu Imperatorio crucem humero baiulans  
 ad vrbis portam peruenit, sed in vestigio cō-  
 fistens, diuina vi cohibitus pedem nusquam  
 mouere potuit. Proin admonitus à Patriar-  
 cha, vt vili habitu, nudisque pedibus gestaret  
 crucem eius Seruatoris, qui nudus pro nostra  
 omnium salute cruci affixus esset; statim ab-  
 iectâ purpurâ, sumtôque sacco, ac nudis pe-  
 dibus crucem potuit sustinere, promouere  
 gressum, & tendere quò volebat. Huius fa-  
 cti memoria solenniter quarta decima Septé-  
 bris celebratur. Hoc est, quod S. Petrus, &  
 S. Iacobus pronunciant: *Deus superbis resistit,*  
*humilibus autem dat gratiam*. Ut enim Hera-  
 clio superbè, & more duntaxat imperatorio  
 incedenti, vrbem Hierosolymitanam ingre-  
 di non licuit, quæ vili habitu ac nudis pedi-  
 bus

bus crucera baiulanti aperta atque peruia-  
fuit: ita tumentibus animis non patent cœli  
portæ, nimis angustæ ansatis hominibus, &  
qui phylacteria sua dilatant, cum tot sim-  
brijs, & paludamentis venientes. Alij, qui  
nôrunt, quâm arcta sit via, etiam centones  
abijciunt, vt nudi nudum Christum sequan-  
tut. Illuc Epulo diues, ventriosus, purpurâ  
indutus non potuit ingredi, Lazarus autem  
fame & macie extenuatus, nec saccos pecu-  
niarum secum ferens, vtpote mendicus etiam  
ab Angelis eò est portatus, facilem habuit si-  
ne sarcinis ingressum. Hanc ob caussam tot  
insignes ingenio, nobilitate, dinitijs iuuenes,  
abiectis vestibus pretiosis, saccum induerunt,  
&, relictis diuitiarum impedimentis, per an-  
gustum cœli portam, nudi atque omnibus  
oneribus liberi intrare maluerunt, quâm cum  
lato clavo, bullati, & torquati, & chlamy-  
dati, mitti in gehennam. Qui fructus est ti-  
moris.

Sed longè maior fructus est amoris. Quid  
enim non velle facere par est hominem, qui  
vel micam in se habet rationis, si videat,  
Deum etiam istos ipsos humanos Luciferos,  
à quibus tam proterue contemnitur, super-  
bè ridetur, & quodammodo potestate sua

Lue, 16.  
23.

XIII.  
DEVS VEL  
HOSTEM  
SVVM ALI  
FONSVM  
MONENS.